



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XXI. Reiicitur sententia distinguens realiter extrinsecè relationem à
fundamento, & termino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

fit entia, quam ens quoddam, & ratione negationis alicuius, quam fortasse inuoluit, & à qua dicitur quantitas discreta, & non continua: tum denique; quia, nec motus, nec tempus, nec oratio sunt adeò strictè ens, atque res illæ, quæ existunt totæ simul, sunt enim quadatenus in potentia, adeoque non entia quoad aliquam partem, eam nimirum, quæ non est in eis præsens, sed præterita, vel futura.

296 Ad decimum argumentum respondeo: entia absoluta non pauca distingui realiter inter se, vt Patres adducti sentiunt, vtque multis potest exemplis reddi manifestum, quibus breuitatis causa supersedeo: proinde aliqua entia relatiua distingui etiam realiter ab absolutis, vniomem videlicet à materia, & forma, actionem à causa, & effectu, quin etiam similitudinem à rebus absolutis dissimilibus, & dissimilitudinem à rebus absolutis similibus. At etiam aliqua entia absoluta sunt inuicem realiter indistincta, ac tantum virtualiter distincta, quantumuis ad diuersa spectent prædicamenta: nam vt ostenditur suis in locis, materia est per seipsam quanta, omnis etiam substantia est per seipsam qualis quodammodo: qualitas etiam, cuiusmodi est color, sita est in quantitate rei colorata adiunctis aliis eius accidentibus, quo fortasse spectat illud Richardi Victorini tractatu de exceptionibus capite quarto: *Omnis autem visibilium forma in quantitate consistit*. Quapropter cum falsum sit, entia absoluta etiam diuersorum generum semper inter se realiter distingui, perperam inde infertur, esse oportere realiter distincta ens absolutum, & multiplex ex vna parte, & ex alia ens relatiuum.

297 Postremum argumentum, etsi multis videatur satis plausibile, atque popolare, facilem tamen habet solutionem. Nam esse simul duo reipsa, non est separabile ab eorum relatione reali, seu prædicamentali, cum tamen esse duo simul in intellectu separari possit ab hoc, quod est ambo inuicem comparari, & referri intellectualiter per iudicium alterum eorum de altero affirmans. Quid mirum ergo, si posterior relatio sit realiter distincta ab extremis, secus vero illa prior.

C A P V T XXI.

Reicitur sententia distinguens realiter extrinsecè relationem à fundamento, & termino.

298 IN qua est Aureolus in 1. distinctione 42. 2. p. dist. articulo 2. contra opin. primam, & apud Capreolum in 1. distinctione 30. quaestione 1. In eadem etiam esse videtur Gerardus Senensis in 1. distinctione 33. quaest. 1. artic. 1. necnon Auerroës in epitome super lib. metaphys. tract. 3. & in epitome prædicam. cap. 5. ad aliquid 1. parte voluminis, & lib. 1. posteriorum text. 32. referri etiam pro eadem opinione solent Zeno, ac Stoici, cæterique philosophi Platone, & Aristotele antiquiores: quos tamen magis arbitror censuisse, relationem prædicamentalem esse permixtam omnibus entibus, quam in consideratione intellectus sitam.

299 Quorum autem cunque ea sit opinio, suaderi potest primò, hunc in modum: quod numerus aliquis alio sit duplo, alio triplo, alio quadruplo maior, est relatio prædicamentalis, vt omnibus exploratum: at quod duplo, triplo, aut quadruplo maior sit, est formalissime opus mentis, cum sit reductio quantitatis ad numerum: numerus autem teste magistro in 1.

R. P. Richard Lyncei, Philosoph. Tom. III.

dist. 24. & B. Thoma non est à parte rei, sine extra animam, sed animæ, & mentis opus: igitur relatio prædicamentalis mentis opus est: non alterius autem, quam fingentis: ergo est quidpiam rationis, & fictitium: hoc ergo quemadmodum distinguitur realiter extrinsecè à materia, circa quam fit, ita & relatio prædicamentalis à fundamento, & termino.

Deinde secundo: dominium & seruitus relationes prædicamentales sunt; at extra animam non sunt, sed potius in sola apprehensione ficticia consistunt, qua videlicet per fictionem quandam iuris seruus Domino se obligatum vult, & apprehendit, & Dominus seruo se superiorem, cum tamen à parte rei, & extra animam nihil excogitari possit, in quo eiusmodi posita sit obligatio, aut relatio: cedo enim, quale sit. Tertiò à priori: relatio est comparatio quarundam rerum inter se inuicem: intellectus autem proprium est comparare: ergo & referre; adeoque relatio erit opus intellectus.

Hæc tamen sententia merito à scholis iam diu exulauit: quid enim euidentius, aut manifestius, quam independenter à quauis fictione, & operatione intellectus, Ignatium, verbi gratia, esse similem Francisco, torum esse maius sua parte, obiectum esse volitum, aliove modo mensurabile: sed hæc relationes sunt prædicamentales. Rursus cognitio essentialiter, & independenter à quauis fictione obiectum intentionaliter sibi assimilatur, & Verbum increatum essentialiter, & sine fictione est imago Patris: cur igitur similitudo physica vnius hominis cum alio à parte rei reperiri nequeat independentem ab omni figmento?

Præterea: si relatio prædicamentalis æqualitatis, similitudinis, &c. realis non esset, idem de actione, duratione, vocatione, & reliquis modis dici oportere. Sequelam Aureolus vbi supra largitur; consequens autem manifestè absurdum est: alias eadem licentia hominem esse à parte rei hominem negari posset, cum modus omnis essendi sequatur ipsum esse: quamobrem, si modi essendi hominis, v.g. à parte rei negantur, quid est, quapropter ipsum esse hominis sit à parte rei adstruendum? Denique in diuinis dantur relationes reales, nimirum Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, vt fide Sanctum: ergo etiam in creatis Paternitas est relatio realis censenda: quæ enim vtrunque disparitatis ratio assignari potest? Nullam certè agnouit B. Thom. opusc. 48. tractatu 5. cap. 1. *Vniuersaliter*, inquit, *circumscripto omni actu intellectus Pater refertur ad Filium, & Filius ad Patrem, quia realiter Pater genuit Filium, & Filius à Patre genitus.*

Aduersariæ opinionis argumenta parum vrgent. Ad primum respondeo: sicut vnitas, alia est rationis, alia realis, ita numerus vnitati oppositus duplex est: alius rationis, qui numeratio potius, quam numerus dici consuevit, de quo Magister, & B. Thomas vbi supra: alius realis, qui operationem omnem intellectus anteuertit; quis enim in diuinis à parte rei tres esse personas, aut triangulum independentem ab omni intellectus operatione habere tres angulos æquales duobus rectis negare auit? quare quamuis relatio inæqualitatis, qua numerus vnus superat alium in vtroque realiter consistat, adhuc in aliquo reali consistere poterit, atque adeo non est relatio rationis censenda. Vel paulò aliter: numerus iuxta B. Thomam 1. part. quaestione 1. articulo quarto, & Capreolum 1. sentent. distinctione 24. quaestione 1. alius est simplex & abstractus, vt duo, tria, quatuor, & hic in sola intellectus abstractione consistit: alius vero, qui est in rebus numeratis,

R

vt

ut duo homines, verbi gratia, vel duo equi, & hic extra animam est: de numero autem in priori acceptione, non posteriori magister, & B. Thomas sermonem habent, quoties numerum opus esse rationis edocent. Fateor tamen hos posteriores terminos, quibus duplex explicatur numerus, haud esse adeo aptos, atque illos priores, ut à nobis etiam alibi perstrictum.

304 Ad secundum respondeo: dominium, & servitus, & quævis alia obligatio relationes reales sunt, quippe quæ consistunt in voluntate præterita moraliter perseverante, hoc est acceptata, & non retractata, qua princeps, aut respublica, aut ius gentium, aut servus ipse titulo aliquo efficaciter vult se Domino subicere, id est ad eius nutum certas, ac statas actiones exercere, & alioqui conditam pœnam subire: in hac inquam voluntate relatio servitutis, & dominij ita realiter posita est, ut ab ea virtualiter distinguatur, alias servus sui ipsius servus esset, & Dominus, sibiimet dominaretur, uti superius visum.

305 Ad tertium respondeo: quoties intellectus comparat unam rem alteri, asseritque, vel eas distingui inuicem, vel se superare, aut æquare, vel aliquam aliam proportionem, aut impropotionem habere, cuiusmodi actum intellectus comparativum esse verum, ac propriam relationem obiectorum, quæ considerat: haud enim fingitur, sed fit ab intellectu: haud etiam est inter extrema realiter, & verè indistincta: quidni ergo sit propria relatio? Ceterum hoc non rollit, quominus sint aliæ relationes non sitæ in intellectu actu, sed in rebus præexistentes; aliæ inquam tum transcendentales, cuiusmodi sunt unio, actio, duratio, &c. tum etiam, quod magis nostro congruit instituto, prædicamentales, quales sunt similitudo, æqualitas, Paternitas: quamvis enim intellectus comparet plures res inter se, at etiam non paucae sunt suapte natura, & ante operationem intellectus comparatæ inuicem: uti licet intellectus noster unam rem distinguat ab alia, nihilominus multa sunt ante distinctionem rationis realiter, ac verè distincta.

306 Quidam recentiores Aureoli placitis addictissimi eius sententiam longè temperari defendunt, & relationem prædicamentalem similitudinis, verbi gratia, ultra fundamentum, & terminum intimè includere existimant scientiam divinam, qua extrema relationis simul, siue in eodem instanti existere à Deo videantur: quo fit, inquit, ut relatio prædicamentalis quodammodo relatio rationis sit, ac proinde à fundamento, & termino realiter extrinsecè distincta. Ceterum mihi summo pere displicent.

307 Namque in primis similitudo, & dissimilitudo, propinquitas, & distantia, ac similes relationes prædicamentales sensu materiali saltem interno, & communi percipiuntur, ut est solemne philosophis, utque negati nequit, si species admittantur insensata: sed scientia Dei sensu materiali, & corporeo ne divinitus est perceptibilis, alias Deus ipse cerni posset oculis corporeis: ergo hæ relationes in scientia Dei minimè consistunt. Secundo: quoniam in divinis Paternitas, & Filiatio neutiquam sitæ sunt in actu aliquo increatae scientiæ, quo videantur ambæ in eodem instanti temporis, aut æternitatis coexistere, cum Paternitas, & Filiatio divina prius absolute existant, quam in eodem instanti coexistant, aut coexistere videantur: ergo similiter in rebus creatis, &c.

308 Tertio aliquibus fortasse non displicebit hic eam

sententiam impugnandi modus. Si per impossibile, ut aiunt, creaturæ existerent non existente Deo, similes essent mutuo dissimilesque: sed non per scientiam divinam: ergo nec modo in eam refundi debet similitudo, aut dissimilitudo rerum creaturarum. Quarto impugnatur: quoniam eadem ratione relationes transcendentales, nimirum ubicatio, duratio, &c. actu aliquo divinæ scientiæ, aut voluntatis compleri possent, atque intimè constitui, quod vel ipsi aduersarij contra nominales insistantur. Denique iuxta hanc sententiam eadem relatione fundamentum referretur ad terminum, & hic ad illud è contrario, siquidem utraque relatio prædicamentalis ab his auctoribus in fundamento, & termino, ac scientia Dei formaliter collocatur: quare aduersus eam omnia fermè procedunt argumenta, quibus superius capite 17. usus sum ad probandam distinctionem virtutalem relationis à duobus, quæ interiaceret extremis.

CAPUT XXII.

Confutatur sententia non distinguens relationem prædicamentalem à fundamento solo.

309 Celebris est hac tempestate eorum sententia, qui relationem prædicamentalem censent esse denominationem quandam respectivam cum solo fundamento intimè identificatam, quæ tamen quia respectiva est, & terminum essentialiter connotat, eo solo deficiente potest abesse fundamento. Quod connotatores (ita enim de sententiæ suæ nomine auctores hi solent appellari) exemplo divinæ libertatis explicant: Deo enim denominatio volentis hunc, verbi gratia, mundum, abesse potuit, siquidem eum nolle ei fuit ab æterno liberum, & integrum: nihilominus Deo nulla entitas, nulla perfectio intrinseca deesse potuit, aliàs tam id, quod deficiet, quam Deus, cui deficeret, manifestam inuoluerent imperfectionem: similiter ergo, inquit, in præsentia absque dispendio vilius entitatis, aut perfectionis intrinseca relatio poterit abesse fundamento.

310 Ita recentiores aliqui, quos suppressis nominibus refert P. Ariaga disp. 12. Logicae sect. 8. subsect. 1. num. 31. quibus subscribit P. Ludovicus Merarius disputatione 3. de Deo sect. 3. ad 2. & disp. 3. sect. 4. ad 1. referri etiam solet pro eadem sententia B. Thomas opusc. 48. tract. 5. cap. 2. ubi sic ait: *Non est intelligendum, quod similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine; sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum.* Verum longè abest Sanctus Doctor, tantumque vult relationem esse denominationem partim intrinsecam, partim extrinsecam, atque esse in recto solum fundamentum; ita tamen, ut sit etiam intimè terminus, tametsi in obliquo: sicut album in recto est subiectum solum, quin tamen propterea desinat esse albedo intrinsecè, & essentialiter, ut ut eam in obliquo importet: en eius verba c. 3. sequenti: *Dicendum, quod divisio entis in decem prædicamenta est divisio in decem secundum rem, vel quantum ad hoc, quod dicunt diuersas res intrinsecè, & realiter, sicut substantia, quantitas, & qualitas, quæ comparata ad inuicem sunt diuersæ res: vel in quantum dicunt diuersas res extrinsecè, quia unum importat aliquam rem diuersam, quam non importat reliquum: & sic relatio differt à suo fundamento, quia importat oppositum relatiui: sicut enim dicimus, quod*